NONNULLA QUAE DE TYHPO CONTAGIOSO AD LAUREAM MEDICAM RITE...

Lorenzo Mercante



23

NONNULLA

QUAE

DE TYPHO CONTAGIOSO

Ad Lauream Medicam

RITE ASSEQUENDAM

exponit

LAURENTIUS MERCANTE

VICETINUS E SCHLEDO



PATAVII

TYPIS CARTALLIER

MDCCCXXXVI

GVILIELMO LIPPICH

IN RE CLINICA MEDICA SVPERIORI

ARCHIGYMNASII PATAVINI

PROFESSORI CELEBERRIMO

QVOD TAM IN CVRANDIS AEGROTIS

QVAM IN DOCENDIS DISCIPVLIS CIRCA MORBOS

NIL DESIDERANDVM RELINQVAT

IN GRATI ANIMI ARGVMENTVM

SVO PRAECLARISSIMO PRAECEPTORI

DE QVO SEMPER GLORIABITVR

HANC SVAM DISSERTATIONEM

TANTO NOMINE LAETAM

LAVRENTIVS MERCANTE

D · D · D ·

L · M ·

PROOEMIUM

Nequis me de typho nunc acturum esse audiens, novam aliquam de hoc morbo doctrinam proponere credat, protinus monendum esse existimo, me ab hac sententia prorsus alienum fuisse. Satis cognosco (neque aliud in medicina cognosco) quantum arduum et difficile sit, aliquid novi in hac arte proferre, praecipue vero circa typhi argumentum, a tot et tantis clarissimorum virorum operibus illustratum. At ego de typho nunc dicturus sum, propterea quod praestantissimum omnium de hoc morbo celeberrimi Hildebrand tractatum particulari mea institutione legentem illud in pauca conferendi me cupido invasit. Hoc

igitur compendium ad lauream medicam rite assequendam nunc publici juris facio, ab humanissimis lectoribus veniam implorans, si illius tanti Magistri opus, meo calamo deturpatum fuerit.

DE TYPHO CONTAGIOSO

MORBI DENOMINATIO ET DEFINITIO

Typhi nomen a graeco vocabulo *τύφος* seu *τυφλὸς*, quod stuporem vel animi caecitatem denotat, originem ducit. Τυφος apud *Hippocratem* stuporem attonitum audit: apud *Erotianum τυφώδης πυρετὸς* est febris, quae cum tempore fit, et quibus laborantes cum vehementia alienantur. *Galenus* cum *Erotiano* fere omnino convenit; sed etiam *τυφώμανὶη* (mixtus ex phrenitide et lethargo affectus) ab illo usurpatur; apud quem vero febris typhodes febris est continua, et ardens a jecinoris erysipelate excitata. Item Arabes sentiunt; apud *Avicennam* tamen *Sahara Subeth* typhomaniam denotat. Saeculo quoque decimo sexto febribus hepaticis praecipue erysipelaceis typhi nomen tributum fuit. Humoristae febres typhosas inter biliosas, putridas, atque petechiales, illas quoad originem nosocomia-

les carcerales castrenses etc. denominantes, recensuerunt.

Sauvages sub nomine typhi eundem quem nos morbum exprimit, qualem quoque *Hippocratem* prima sua tertiaque febre typhosa, nec non febri cacoëthe descripsisse opinatur. Nevropathologi, imprimis *Huxham*, ad febres nervosas typhum retulere. *Cullen*, typhi vocabulo, febrium genus denotat, eandem quasi ac synocha originem habens. Item fere e recentioribus multi faciunt, excepto tamen *Petro Frank*, qui ait: « Non aliter cum Typhode de etc. veterum rem se habere observamus, quae vix non semper ad nervosam, aut malignam febrem pertinet, cum abdominalium viscerum inflammatione nonnunquam conjunctam. *Reil* typhum dicit id, quod *Frank* febrem nervosam versatilem vocat. *Hufeland* veluti febrem cum energia vitali imminuta, atque *Harles* veluti infractam universalem, seu partialem organismi reactionem typhum considerant. *Sprengel*, quamvis morbum nostrum sub febris Hungaricae, nosocomialis, navalis, etc. denominatione egregie describat, nunquam tamen typhi vocabulo utitur, sicut *Pinel*, qui typhum ad febres ataxichas refert. Apud nos vero sub nomine typhi contagiosi intelligitur morbus febrilis, sui generis, ex proprio miasmate ortus, specifico exanthemate notatus, et certa varii characteris stadia percurrens, in quibus stupor cum delirio,

nec non hepatis, modo major modo, minor affectio constanter observantur.

MORBI AB ALIIS DIFFERENTIA.

Differt morbus iste a febre maligna; nam malignitas in subita, atque inexplicabili virium amissione consistens, necessarie contagiosa non est, sed tamen, uti symptoma etiam typhum comitari potest. Iisdem rationibus a febri putrida typhus distinguitur, qui ne cum febri quidem nervosa simplici confundi potest; haec enim neque contagionis inferendae facultate pollet, neque typhomaniam neque exanthema specificum; contra vero periodicas exacerbationes praesefert. Febris denique biliosa symptomatibus propriis, nervosis nullis distincta, a febre typhosa est valde dissimilis. Quaedam praeterea in eodem principio contagioso differentiae, seu modificationes, a climatis varietate, uti videtur, inductae notantur, ob quas typhus in malignum et communem jure dividi posset. Ad illum typhus pestilentialis tam orientalis, seu *pestis*, quam occidentalis, seu *febris flava* referuntur, quorum singuli majori malignitate, nec non diversitate exanthematis, aliisque, a typho communi differunt, qui valde benignius et mitius decurrit. Hujus varietates sunt: typhus nosocomialis, carceralis, castrensis, navalis atque urbium obsessarum, typhus endemicus, veluti fe-

bris Hungarica; epidemicus; quales sunt febres malignae, putridae, et petechiales contagiosae.

MORBI ANTIQUITAS.

Ex iis quae paulo ante diximus, antiquissimis abhinc annis typhum medicis notum fuisse, sicuti jam Hippocrates pluribus in locis luculentissimam hujus morbi nobis praebet hypotyposin. Hoc quoque typhi causae confirmant, quae tunc temporis eaedem, quae nunc esse debebant. Antiquitus typhum exstitisse praeter caeteros testatur Thucydides, qui de peste atheniensi loquutus, clarissime typhum nostrum saltem anomalum describit. At quid fuit pestis illa quae saeculis sexto, et septimo decimo per Italiam praecipue, Hungariam, Daniam, aliasque Europae regiones furentius debacchata millenas victimas orci faucibus tradidit, nisi typhus contagione diffusus, qui eodem tempore tot clarissimorum virorum memoriam ex Orci faucibus eripuit? Horrent denique animi patrum nostrorum meminisse, quae saeculo mox praeterlapso et praesenti viderunt, et tulere calamitosissima mala a morbo typhico inducta.

MORBI DIVISIO.

Praecipuae typhi communis contagiosi divisiones sequentes sunt. Typhus esse potest: 1.° Ori-

ginarius, vel contagio communicatus. Hic a proprio miasmate ex homine quodam typho laborante contracto, originem ducit; ille ex causis prorsus diversis, quas alibi exponemus procedit. 2.° Simplex vel complicatus. Hic cum aliis morbis conjunctus, ille solus decurrit. 3.° Regularis denique, vel anomalus, prouti decursum naturalem, vel quacumque ratione a recto tramite alienum tenet.

His ergo praemissis, primum de typho contagio communicato, simplici, et regulari verba faciemus; deinde de complicato et anomalo; serius denique de typho originario nonnulla dicemus.

TYPHI SIMPLICIS ET REGULARIS HYPOTYPOSIS.

Typhus qui vere ex contagio exortus sit, simplicem et regularem decursum tenet, si hominem perfecte sanum aggrediatur, neque cum aliis subinde morbis complicetur, si a nulla praedominanti constitutione epidemica, nullis heroicis aut perversis pharmacis, neque malo regimine diaetetico, aliisque rerum adjunctis turbetur, donec naturae solummodo viribus curandus relinquitur. Typhus iste octo stadia percurrit, antequam in sanitatem transeat, et sola mors ejus decursum breviorem reddere potest. Haecce stadia sequentia sunt: 1. Stadium infectionis; 2. prodromorum, 3. invasionis; 4. inflammatorio-catar-

rhosum; 5. nervosum; 6. criticum; 7. decrementi; 8. convalescentiae.

STADIUM INFECTIONIS.

Nulla habemus symptomata, quae aliqua cum certitudine infectionis stadium nobis valeant indicare. Illa enim, quae contagii comunicationis momentum nonnulli notare dicunt, qualia sunt: concussiones veluti electricae, aurae particularis flamen et perceptio, odor mephiticus etc. phantasiae potius, atque metui tribuenda, vel etiam forsan inter prodroma recensenda sunt.

STADIUM PRODROMORUM.

Quamvis minus incerta et dubia, tamen ne pathognomonica quidem habemus morbi thypici prodroma, quae morborum febrilium consueta sunt. Inter ista tamen dysphoria sui generis, halitus summopere foetens, manuum tremor, vertigo frequens, concussiones in extremitatibus veluti ab electrico inductae, particulares dorsi, lumborum, articulorumque dolores oppressionis denique sensus in scrobe cordis saepius, atque constantius observanda occurrunt. Hocce stadium 3. vel et 7. dies durare posse videtur.

STADIUM INVASIONIS.

At, praegressis nonnullis horripilationibus praecipue secus columnam vertebralem, et circa occiput, horror concutiens cum aestu intercurrente, cute anserina, livore partium extremarum, tremore, polydipsia, anxietate, praecipue vero subito, tantoque animi corporisque virium collapsu, et debilitate, ut homo vel omnium fortissimus, et sanissimus lecti subsidium illico quaerere cogatur, solemnem febris typhosae ingressum demonstrat. Hoc stadium ad 6. vel etiam ad 12. horas protrahitur.

STADIUM INFLAMMATORIO-CATARRHOSUM.

Febrili stadii invasionis horrori subsequitur aestus, explorantibus valde sensibilis, atque aegro praecipue in partibus tectis summopere molestus et anxius, et ingenti siti, acidorumque cupiditate associatus. Sensus externi, nec non facultates mentales id temporis parum afficiuntur. Adpetitus vero nonnihil languescere incipiunt, et cephalaea praetermodum gravans, temulentia, vertigo insignis, pervigilium, delirium leve, praeviam systematis nervosi affectionem demonstrant, ex quibus, et forsan ex hepatis irritatione, nausea, vomitusque frequens. At his symptomatibus

praeterea associantur, oculi pulverulenti, micantes, photophobi, lacrymantes; coryza cum secretione muci imprimis tenuis, dein tenacioris, et ab aëris cotactu saepe in cructas, cavitates nasales penitus oppilantes coëuntis, epistaxis frequens, aurium, tinnitus, bariecoja, levis faucium ardor, et rubor, deglutitio nonnihil impedita, raucedo, tussis cum excreatis mucosis, pectorisque oppressione, facies summopere accensa et turgida, lingua albida, cutis valde transpirans, urina parca, rubra, interdum sub mictu urens, alvus plerumque stricta, pulsus plenus et frequens, nunquam celer, neque liber. His phaenomenis magis magisque in posterum adauctis, praecipue cephalicis, capitis stupore, sopore, vertigineque insigni subintrantibus, qualia narcoticorum abusus, aut ebrietas inducere solent, verbis tamen non adaequandis, associantur hypochondriorum praecipue dexteri tensio, sub tactu dolentis, tensivi quoque artuum dolores, atque inertia insuperabilis. Quarta autem die, manifesta febris exacerbatione praegressa, epistaxis modo parca modo copiosa apparet, notabilem, cum symptomaticum cephalicorum levamine, febris ejusdem remissionem posthac inducens. Eodem fere tempore cutis universa insolitum ruborem et turgorem acquirit, mox exanthemate particulari in ipsa erumpente. Hoc exanthema, quod purpuram typhosam denominari nobis placet, et

quod ex eadem causa, quae epistaxin producit, ex minimorum idest vasorum superficialium repletione procedit, consistit in eruptione quadam cutanea, rubro-maculata marmori variegato simillima, sub digiti pressione evanescente, inaequali, minimis pustulis parum elevatis signata, quae miliarium minores, difficiliusque sensibus percipiendae, majorem potius cum morbillis habent analogiam, a quibus tamen ardoris et pruritus defectus, neque non rubor pallidior satis distinguunt. Haec eruptio primum in partibus illis, quae majora vasa sanguinea circumstant, erumpit, in collo idest, in pectore, dorso, et coxis, interdum intra hasce corporis regiones tantum remanens, interdum remotiores quoque plagas, quin ipsi faciei parcat, invadens. Sin autem praeter capillarium vasorum cutaneorum repletionem minimae quoque sanguinis effusiones, vel in textu cellulari cutaneo, vel intra cutem atque epidermidem accidunt, tunc peticulae quoque adparent: Quae igitur, contagium minime conducentes, cum sicut miliaria et sudamina, quae purpurae typhosae interdum immixta observantur, tunc adesse, tunc deesse possint, nunquam specificum typhi exanthema constituent. Post exanthematis eruptionem ad septimam usque morbi diem idem remanet morbi character, eademque omnia praegressa symptomata, si catarrhalia pectoris excipias, quae sensim, sensimque evane-

scunt. Typus generatim hujus stadii continens est, si vix nocturnas leves exacerbationes excipias. Attamen criticae exacerbationes, declinante tertia, et septima ineunte die, sicuti etiam sub decimae fine, et sub quartae et decimae diei initio, constanter et manifeste observantur, notabiliores deinde remissiones afferentes. Nil igitur quoad regularem hujus stadii decursum dicendum remanet, nisi exactam omnium ipsius symptomatum praecipue vero pulsuum, turgoris, et caloris generalis, virium vitalium conditionis, sanguinisque extracti plasticitatis, mucosae denique membranae capitis, pectoris, imique ventris affectionis considerationem luce clarius ostendere ejusdem stadii characterem inflammatorium esse, non tamen genuinum, sed modificatum, inflammatorium idest catarrhale. Hoc praeterea morbi causa, irritans scilicet peregrini miasmatis actio, analogia, symptomata enim inflammatorio-catarrhalia exanthematum eruptionem fere semper praecedere videmus, therapia denique antiphlogistica sive activa convenienter adhibita, sive passiva, omnino confirmant.

STADIUM NERVOSUM.

Primo morbi cyclo septenario transacto, quem exacerbatio febrilis solito valde fortior claudit, levi brevique omnium symptomatum imminu-

tione deinde subsequente, nova octava die phaenomenorum series, prioribus partim cedentibus subingreditur. Aestus febrilis mirum in modum intenditur, aegrotis summopere molestus, et sub tactu mordax, urens, siccus, increscens. Exanthema typhosum penitus disparet, erumpunt vero peticulae, vel copiosiores et majores fiunt, epidermis a corio dividitur, sicca, rugosa, squamosa, transpirationem impediens, lingua aridissima fit, strane conformata, interdum fere lignea, deglutitio difficilis, fauces rugosae, respiratio liberior, nares indurato muco, et cruore fuliginosae, singultus, venter meteoristicus, sub tactu dolens, in diarrhoeas et dysenterias foetidissimas pronus, urina saepe copiosa, pallida, vel minus turbida, rarius hypostaica, plerumque vero summopere varia, pulsus quoque valde variabilis nunquam tamen talis, qualis in vera debilitate occurrit. At saepius sat fortis, plenus atque liber peculiarem fremitum, aneurysmatico similem digito exploranti exhibens. Sed et sensorium commune singulari ratione afficitur. Vires animales magis magisque corruunt, sed ex torpore potius invincibili quam ex vera asthenia: contra ea motus involuntarios praevalere demonstrant tremores, subsultus tendinum, convulsiones, spasmi varii, praecipue musculorum faucium vesicaeque urinariae. Sensus quoque externi majori hebetudine corripiuntur, interni au-

tem summopere exaltantur: aegri decumbentes in dorso varios in modos manibus ludunt, et rerum externarum plane incuriosi continue valideque impressionibus internis occupantur, vel unam cum alia confundentes delirant, veluti si dormiendo somniarent (Typhomania). Delirium autem, per totum morbi curriculum circa illud objectum tantum versatur, quod ab initio morbi ipsius aegrotantis mentem eminenter perculit, sicuti de illo solummodo recordantur convalescentes. Actus denique voluntatis internis solum impressionibus obsecundant, atque appetitu instinctuque omni deleto, nil aegri expetunt, nil queruntur, nil optant, ne salutem quidem qua, dum prope sepulcrum versantur, credunt penitus frui.

Ita res sese habent ad decimam usque morbi diem, qua declinante, calor, febris et symptomata nervosa per aliquot horas adolescunt, succedente deinde post levem sudorem vel post copiosissimas foetentesque evacuationes, aut urinae fluxum, remissione conspicua, quae die subsequente sensibilior facta, secunda et tertia decima die per febrim validius exasperatam, protinus dissipatur. Sunt quidam casus, in quibus haec symptomata mitiora sunt, sed stupor semper super alia omnia caput extollit.

Quid vero haec ipsa phaenomena, quae vel omnia vel pleraque ad systema nervosum refe-

renda sunt, sibi volunt, nisi eminentiorem in hac morbi periodo ipsius systematis nervosi affectionem? Quod preterea etiam in hoc casu analogia docet; omnes enim febres exanthematicae ad assumendum characterem nervosum seriori morbi decursu inclinant, nec non therapiae debilitantis damna, et contra curae leniter stimulantis emolumenta. At affectio ista vel character nervosus est sui generis, nec a vera asthenia, sed potius a virium vitalium suppressione, a processu contagioso inducta procedit. Hoc testantur crises, quae ante alia omnia sanitatem afferentes naturae tantum viribus fieri possunt, et quae sub antiphlogistica quoque therapia perverse adhibita interdum aeque contingunt: virium animalium conditio, quae ex torpore potius invincibili, sicuti in ebrietate, quam exhaustione languent; pulsus saepe plenus et fortis, qualem characteristicum *Sauvages* cum *Hippocrate* habet; secretus denique in hocce stadio naturae processus, quae omnibus viribus ad morbum, suosque effectus dissipandos intendit.

STADIUM CRITICUM.

Sub fine igitur tertiae et decimae morbi diei, calor febrilis summopere augetur, et urentior fit, arteriae validius pulsant, cerebrum magis ma-

gisque afficitur, notabiliore subeunte sopore. At duodecim horis plerumque transactis, decima idest, et quarta die cutis humescere incipit, et fere semper epistaxis, modo etiam copiosissima, maximum aegrorum levamen afferens, redit, vel, deficiente epistaxi, nares humidae fiunt, et, crustis earum cavitates oppilantibus cum frequenti in sternutationem nisu decidentibus, haud parca fit ex illis muci excreatio, sicuti quoque ex pectore. Fausta haec phaenomena protinus sequuntur minor linguae siccitas et spurcitia, sudor profusus, universus, aequalis, restaurans quidquam peculiaris redolens, urina facilius, et quadam voluptate emissa, copiosa, turbidula, albam hypostasin deponens, alvus copiosissima modo diarrhoica, modo pultacea, foetens, et tantam afferens euphoriam, ut aegri cum excrementis morbum quidem expellere sibi videantur. Interdum vero haec crisis die septima et decima fit, nunquam tamen tam *decisiva* veluti anterior.

STADIUM DECREMENTI.

At quamvis aeger faustae criseos ope, aliquot horas veluti invasionis stadium perdurantis, ex orci faucibus abripiatur, non tamen omnibus morbosis symptomatibus uno ictu liberatur. Delirium tamen ante alia omnia decrescere incipit, et aeger veluti e profundo somno sum-

ma cum admiratione expergefit; interdum etiam omnia capitis symptomata de repente omnino evanescunt. Caeterum physiognomia hilaris fit, oculus serenus et vivax, animus rerum externarum impressionibus iterum sensibilis, imo adeo, ut omni cum facilitate gaudii, laetitiaeque lacrymae ex aegrotantis oculis fluant; vis motrix quidquam reviviscit, pulsus tranquillior, aequabilior, et liberior fit, respiratio et calor fere normalia, sitis abit, potus acidi fastidiuntur, fames cum somno, quamvis parum sublevante, incipit. Perstant tamen singularis debilitatis sensus molestior, cita post motum defatigatio, artuum praecipue dedolatio summa, stuporis jam jam abeuntis pathognomonicum prodromum; squallidus faciei pallor, vertigo et carebaria, bariecoja, auriumque tinnitus quamvis mitiora, mentis imbecillitas, in somnum et sudorem proclivitas, irritabilitas summa, alvus obstipa. Haecce vero phaenomena, etsi per hebdomadam circiter perstent, tamen subsequis diebus magis magisque decrescunt, excepto vero syrigmo, qui pertinax convalescentes quoque singulari molestia excruciat.

STADIUM CONVALESCENTIAE.

Tertio morbi cyclo septenario tali ratione transacto, tam exoptatum convalescentiae stadium typhici jam jam ingrediuntur. Perpessam

tamen aegritudinem adhuc illis recordantur virium vitalium debilitas, corporis emaciatio, musculi flaccidi, cutis rugosa, epidermis sicca, atque in furfurum formam decidua, decidui quoque capilli, ungues valde increscentes, adpetituum omnium praecipue famis tanta exaltatio, ut in eorum satisfactione voluptatem verbis non adaequandam aegri persentiant; impressiones rerum quondam gratarum nunc suavitate valde majori animum mulcentes, alvus pigra, menstrua denique perfecte silentia. Cuncta autem haecce morbosa pheenomena, nutritione et vi redeuntibus, penitus disparent, et quamvis hoc lentius lentiusque fiat, tamen in salute valde potiori, et chronicorum malorum victoria mercedem satis amplam typhici obtinent.

TYPHI COMPLICATI, ET ANOMALI HYPOTYPOSIS.

At non semper typhi decursus ita simplex et regularis, qualem nuper descripsimus, medentis oculis sese offert. Plurima saepius occurrunt rerum adjuncta, quae ipsius morbi decursum a recto tramite ita detorquent, ut nullum in suis periodis ordinem servet, variisque insolitis notetur phaenomenis. Causae praecipuae, quae hisce aberrationibus, sive anomaliis favent, sunt: varia aegri conditio, qui juvenis vel senex, gracilis vel fortis, sanus vel aegrotus etc. esse potest;

genius epidemiae dominantis, morbis sive inflammatoriis, sive biliosis, aliisve favens; nocentes domestici influxus, regimen diaeteticum malum, mala quoque medendi methodus contra morbum adhibita, ante omnia vero variae complicationes morbosae. Ex iis autem evidenter patet, quot et quantae typhi anomaliae esse possunt, et sicut omnes istas describere nobis vix datum foret, ita frequentiores et potiores tantum enumerabimus.

ANOMALIAE PRIMI, SECUNDI, ET TERTII STADII.

Sicuti antea jam diximus nulla dari certa symptomata quae infectionis et prodromorum stadia certe designent, neque haec certis ideo legibus esse subjecta, ita neque dari, neque assignari posse horum stadiorum anomalias, unusquisque facile intelliget. At sub morbi invasione accidit interdum, ut horror febrilis vel solito multo vehementior sit, vel diutius perduret, vel etiam per plures dies, febrim intermittentem simulans, intercurrat, sicuti etiam fit, ut horripilationibus vix prius persentitis aestus insignis illico succedens morbi initium constituat.

ANOMALIAE QUARTI STADII.

Frequentiores anomaliae, quae in hocce stadio contingunt, sequentes sunt: Febris quae de more inflammatorio-catarrhalis rationem habet, tum et quando adeo intenditur et effervescit, ut synocham graviorem aequet, modo simplex modo composita, ita ut per socias locales phlogoses typhi phaenomena mirum in modum obscurentur. Item delirium interdum et sopor adeo magna sunt, ut illud ad phrenitidem, hic ad soporem apoplecticum maxime accedat. Item angina, parotitis, saepius peripneumonia gravissima, hepatitis, enteritis, peritonitis, et cystitis non desiderantur, ex quibus tot et tam dissimilium phaenomenorum caterva exsurgit, ut morbi diagnosis etiam expertissimo medico valde difficilis et ardua evadat, cui tamen praegressi contagii suspicio, particularis capitis stupor, exanthema specificum, et alia lumen magnum afferre poterunt, praecipue vero secundus morbi cyclus, quando phaenomenis inflammatoriis characterem nervosum succedere videat. Hisce vero complicationibus, per quas typhus inflammatorius dici mereretur, favent rigidus hiems, constitutio inflammatoria dominans, juvenes plethorici, incongruus stimulorum usus, organorum dispositio, aliaeque causae istorum phlogoses excitantes.

Interdum hocce morbi stadio omnia febris gastricae, vel biliosae occurrunt phaenomena, per quae plures medici in errorem diagnoseos inducti, subsequum characterem nervosum, vel putridum aliis omnino causis, veluti resorptioni bilis, astheniae, etc. potius quam immutabili morbi typhici indoli tribuunt. At gastrismum tum et quando tanta hepatis affectio, et polycholia comitantur, ut *typhus icterodes*, qui exinde nascitur maximam cum *febre flava* analogiam habeat. Iis anomaliis favent: eminens systematis gastrici irritatio a contagio inducta, vel hujus affectio sympathica ob passionem cerebri, vel vera complicatio gastrica, constitutio epidemica, denique subhepatitis.

Neque exanthema ipsum omnis anomaliae est inimicum: interdum hocce non adparet, vel sub cute penitus latet: pro illo haud raro miliaria, sudamina, aliaeque eruptiones cutaneae prodeunt intra paucas horas evanescentes, neque consuetum febris levamen afferentes. Ad hocce contribuit functio systematis dermoidaei iners, vel ob transpirationem suppressam, refrigerium, humiditatem turbata, plerumque vero aliae se-et excretiones adauctae.

Character quoque nervosus hocce stadio solito citius interdum apparet, modo mitissimus, et febris inflammatoriae phaenomenorum loco subintrans, modo gravior a praecoci typhomanîa, tendinum

subsultu, convulsionibus, spasmis, hemiplegiis, singultibus, aliisque aeque determinatus, et modo tantae verae vis vitalis debilitati associatus, ut quasi inopinato vita extinguatur.

Alias cum verae astheniae evolutione hacce morbi periodo character septicus erumpit, vel ad hunc nervosus de repente transit, unde peticulae lividae, nigricantes; internae, externaeque haemorrhagiae, nisus ad gangraenas, gangraenae, diarrhoeae, ephidrosesque foetentes, putridae, aliaque similia proximam organismi dissolutionem praenunciantia. Quin immo, tum et quando bubonibus, anthracibus, carbunculisque adparentibus typhus ad pestem ipsam maxime accedit. Causae, quae praecoci characteris nervosi evolutioni favent sunt:

Prava individualis constitutio, genius epidemicus, remediorum stimulantium abusus, vera vis vitalis debilitas, a phlebotomiis et purgantibus incaute adhibitis, vel naturalibus aliis profusis evacuationibus inducta, aër humidus, impurus, nimis calens, vel frigidus, animique pathemata; ante omnia vero mutata virium vitalium conditio; istae enim, quae hujus morbi initio nunquam debiles, sed potius suppressae sunt, si validius, vel diutius stimulorum exuberantia cohibeantur, naturali rerum ordine penitus exhauriuntur.

At asthenia vera, nunquam sola characterem

putridum gignere valet, et magis textuum organicorum laxitas ad hoc contribuere videtur. Putrido tamen characteri favent: aër typhicum circumambiens nunquam mutatus, vel plurium aegrorum eodem loco decumbentium exhalationibus varia ratione vitiatus, nullus etsi passivus motus, nisus voluntarii, potusque aciduli neglectio, tristia denique sub delirio pathemata.

ANOMALIAE QUINTI STADII.

Stadium quoque nervosum totidem interdum anomalias patitur, quot stadium inflammatorium. Atque in primis non solum character inflammatorius, verum etiam caeterae locales phlogoses vel primitivam indolem servantes, vel potius ad gangraenam proclives, hoc secundo morbi cyclo adhuc vigere possunt: vel nunc tantum quaedam inflammationes peculiari charactere notatae, praecipue cerebri, pulmonum, hepatis, atque intestinorum exsurgunt, ex quibus ultimis dysenteria quoque typhica, icterusque typhicus originem trahunt. Etiam symptomata gastrica, verminosa praecipue, nec non diarrhoea profusissima, vel et prima tantum id temporis exanthematis typhosi adparitio, vel copiosior peticularum, vel nova denique aliorum exanthematum eruptio, saepius nunc observanda occurrunt. At frequentiores irregularitates a charactere nervoso summopere exaltato,

vel cum vera et summa debilitate vitali, vel etiam cum charactere septico conjuncto procedunt, unde priori in casu lingua arida, lignea, discissa, contracta, cutis siccissima, urentissima, diarrhoeae effraenes, et summopere debilitantes, meteorismus insignis ventre sub tactu saevissime dolenti, tremor universalis, convulsiones variae, dentium stridor, manuum lusus, variae paralyses, et cum aliis denique trismus atque hydrophobia: secundo vero in casu nigra linguae dentiumque sordes, summus oris, faecum, totiusque corporis foetor, cutis livor, crassae maculae pestilentiales, carbunculi, gangraenae, haemorrhagiae, extremitatum frigus, sudorque viscidus, et similia.

ANOMALIAE SEXTI STADII.

Partialis illa crisis, quae septima morbi die contingit, interdum vel penitus desideratur, vel nullum affert levamen, sed potiùs maximum morbi incrementum. Ita crisis *decisiva*, quae sub secundi morbi septenarii fine accidere solet, tum et quando serius fit ita, ut quinta quoque et trigesima morbi die observata fuerit. Haec vero si diebus illis fit, quae septenaria perfecte claudunt, semper est *decisiva*, si diebus intermediis intercisa. Causae, quae crisin solemnem differre solent, sunt: locales organorum affectiones, therapia nimium debilitans, vel excitans, spontaneae

evacuationes immodicae, regimen diaeteticum pravum. Nec solum quoad tempus, sed etiam quoad symptomata concomitantia crisis irregularitates patitur; nonnullae enim evacuationes criticae, rarius tamen sudor, desunt, vel characteribus criticis carent, quae ante omnia in urina contingunt. Alii quoque per vias insolitas interdum factas fuisse dicunt crises, ptyalismo, vel et meteorismo harum locum tenentibus. Omnes autem crises, quae salutem, vel saltem convalescentiam non afferunt, anomalae sunt, at de iis, ubi de morbi exitu, nonnihil dicemus.

ANOMALIAE SEPTIMI STADII.

Fit tum et quando, ut viribus vitalibus praecipue ab initio morbi nimium debilitatis, vel crisibus intercise contingentibus febris solito diutius continuet, vel etiam eo lentius procedat tum, cum morbus in alios transire minatur. Caeterum febris nunquam justo brevius evanescit. Praeterea in anomalo morbi decremento, nonnulla quoque morbosa phaenomena, uti sunt continuus stupor, delirium mite, somnus non reficiens, cophosis, linguae ariditas, polydipsia, anorexia, variae pectoris, imique ventris molestiae, excretionum, pulsuumque turbae, insignis denique virium prostratio diutius, quam par esset, aegros afflictare videmus. Quae nova tum, et quando morbo

in alios transeunte, id temporis insurgunt, serius exponemus.

ANOMALIAE OCTAVI STADII.

Quae in decrementi stadio, in quibusdam anomali typhi casibus, adhuc vigere diximus symptomata, eadem quamvis minori vi, tamen ipsam convalescentiam interdum perturbant, ex quibus animi serenitas, vires vitales, et nutritio lente lentiusque redeunt. Quae ad hocce contribuunt, sunt non solum anteriorum periodum anomaliae, verum etiam causae nonnullae, quae tunc temporis agunt, praecipue vero errores diaetetici, animique pathemata.

Sed non omnes typhi anomaliae, in damnum aegrorum vertuntur. Phaenomena adeo mitia typhum interdum comitantur, ut febris catarrhalis, vel saltem nervosae levissimae morbus ipse induat formam. Haecce typhi modificatio, quae typhum levissimum apud auctores audit, ex individuali dispositione pleraque ex parte procedit, et decursum consueto valde breviorem absolvit.

AETIOLOGIA.

Unica hujus typhi causa contagium est, cujus proprietates, communicationis rationem, et quae communicationem favent breviter nunc exponemus.

Praeter generales aliorum contagiorum proprietates, ad contagium typhosum specialim attinent sequentia. Hocce contagium nunquam ante exanthematis eruptionem evolvitur, et ad convalescentiam usque, imo juxta alios tres hebdomadas quoque post febris occasum reproducitur. Vehiculum illi praebet mucus narium, faucium pituita, perspiratio cutanea; sed non modo fixum verum etiam volatile ad certam quandam distantiam per aërem quoque diffunditur. Venenis narcoticis valde simile, sed et diutius agens, nec chemicae analysi suam patefaciens indolem, cimicibusque lethale, contagium typhosum pluries organismum animale inficire potest.

Ratio, qua communicatur contagium typhosum, vel immediata, vel mediata esse potest. Communicatio immediata fit tum, cum individuus sanus quendam typho laborantem immediate saepius tangendo, vel intra ipsius athmosphaerae animalis orbitam satis diu versatus miasma contagiosum ab ipso contrahit. Quod si autem contagium e corporibus aliis, eodem infectis, suscipitur, tunc mediata fit communicatio. Non omnia autem corpora contagium typhosum conducere possunt, uti ex. gr. metallum, vitrum, terra etc. contra ea omnes fere partes animales, et pleraeque vegetabiles, uti corium, pili, plumae, linum, sericum etc. optime ipsum conducunt.

Ut autem contagium typhosum, vel immediate

vel mediate corporibus animalibus communicatum eadem inficere possit, requiritur: 1. Calor, qui primarius uniuscujusque vitae fomes contagii elementa vivificat ita, ut novae suae reproductionis capacia ad infinitum usque diffundantur. Ita clima, tempestas, aër aegrum circumabiens calida, corpora caloris amica, nec non humiditas et lux communicationi quam plurimum favent. Gradus autem caloris, neque ultra, neque infra temperaturam animalem esse debet. 2. Miasmatis contagiosi in corpus introductio. Accuratissimae medicorum observationes, velamentum cutaneum, nec non ipsius mucosae propagines, continuitate sive soluta, sive non, introductionis atrium contagio typhoso praebere confirmare videntur, neque ideo et ob volatilem ipsius miasmatis indolem, per organa quoque respiratoria in organismum introduci posse rationi repugnat. 3. Dispositio corporea, cujus concursu processus contagiosus evolvi possit. Huic vero favent: aetas juvenilis et virilis; sexus foemineus; constitutio corporis delicata, tenerior, cute molli nitida, et facile transpiranti donata; individui infirmi, diaeta parca, incongrua, potu aqueo, malo tempestatum influxu, laboribus, animique pathematibus debilitati, qui febribus et nevrosibus obnoxii fuerunt, vel febri quacunque laborant. Contraria infectioni obsistunt.

MORBI EXITUS.

Triplex est, sicuti aliorum morborum typhi contagiosi terminatio: scilicet 1. In sanitatem: 2. in mortem: 3. in alios morbos.

IN SANITATEM.

Si individuos optima constitutione donatos, juvenili aut virili aetate fruentes, nulla dyscrasia, nulla partiali organorum labe, nulloque alio morbo laborantes, neque malis jam antea perpessis exhaustos typhus aggrediens, simplicem, et regularem decursum habeat, tunc in sanitatem transit. Optatam autem salutem restituunt medicatrices vires naturae, quae, nunquam miasma typhosum subigendo destruere, sed tantum ex organismo animali expellere valentes, febris contagiosae decursu et processu zoochemico ab infectione producto sponte absolutis, malo stimulorum influxu, qui eas supprimebant, omnino sublato, iterum veluti explosione facta solemnes afferentes crises de repente resuscitant. At haecce crises effectus potius contagii abigunt, quam ipsum contagium, quod subsequis morbi periodis sensim, sensimque expellitur. Ars igitur medica ad restituendam salutem indirecta tantum ratione contribuit, vires id est naturales debite dirigendo, nonnulla periculosa symptomata vel com-

pescendo, vel sufferendo, nocentia denique non administrando; at morbi naturae penitus ignara nunquam ipsius morbi decursum illico truncare, aut saltem breviorem reddere valet.

IN MORTEM.

Mors morbo typhoso nunquam finem imponit, nisi iste anomale decurrat. Ad hocce omnia illa contribuunt, quae morbum a recto tramite deterrentia alibi jam exposuimus, nec non quaedam praeterea causae, penitus adhuc ignotae, inopinatam tum et quando malignitatem morbo afferentes. Quae frequentius mortem inducunt sunt: virium vitalium debilitas, et apoplexia: suffocatio typhicos tantum de medio tollit tum, cum ob insignem pulmonum affectionem respiratio supprimitur.

Individui cachectici, profusisque humorum jacturis, vel aliis deprimentibus causis jam ante morbum exhausti, morti per virium debilitatem inductae ante alios occumbunt. Huic praeterea mortis rationi favent: insolita febris duratio, diaeta nimis austera, praecipue in senibus declinante morbo; completa vis vitalis extinctio, ob ejus nimis diutinam suppressionem, vel ob stimulorum incongruum usum; morbi denique malignitas incognitis causis procedens, nec non intestinorum phlogosis in gangraenam ruens. Quae lethalem in

typho virium vitalium debilitatem demonstrant, sequentia sunt: Turgoris universalis collapsus, partium externarum pallida emaciatio, oculi retracti, turbidi, subclausi, visus languidus, dentium superiorum prominentia, sphincterum omnium paresis, extremitates frigidae, frigidus quoque sudor, viscidus, universalis, pulsus parvus, debilis, inaequalis, vires musculares penitus exhaustae, decubitus supinus, tremor continuus, soporis vel delirii cessatio, mentis tranquillitate, serenitate, animique conscientia redeuntibus. At mors a virium debilitate inducta, multo rarius accidit, quam nonnulli credunt, neque hujusmodi fatum humanae vitae in maximum characterem septicum collapsae plane finem imponit, quae aliis praeterea causis, et quibusdam fortasse chemicis principiis obruta exstinguitur. In cadaveribus typhicorum, qui ex vera debilitate vitali occubuerunt, nil cultrum anatomicum detigit, et in illis, qui putrida dissolutione mortui sunt, omnia putridae fermentationis rapide increscentis vestigia reperiuntur.

At frequentius in typho contagioso mortem affert apoplexia, quae ab attonito cerebri stupore ad occasum usque morbi protracto, maximis status nervosi phaenomenis, turgore universali permanenti, physiognomia fere nihil turbata, satis cognoscitur. Ipsa vero apoplexia vel humoralis vel nervosa esse potest. Apoplexia humoralis pro-

542

cedere potest: 1. A cerebri ejusve membranarum inflammatione, et tunc mors primis tantum morbi diebus accidit, horum organorum subinflammationis, vel verae phlogoseos phaenomenis apoplexiae sanguineae symptomatibus illico succedentibus. 2. Ab internis capitis congestionibus sive activis, sive passivis, ad quas maxima in omni typhi periodo est proclivitas. In duobus hisce casibus cadavera, cerebri, ejusque membranarum vasorum infarctus, nec non interdum effusiones varias observandas offerunt. 3. Ex metastasi ad cerebrum facta, tum cum mitissimis systematis encephalici phaenomenis graviora, saepius sub critica exacerbatione apoplexiae signa succedunt, extremo plerumque die quarta, et decima subsequente fato. In hocce casu in cadaveribus exigua tantum cerebri turgescentia invenitur. 4. Sub cerebri suppuratione ab oedematoso faciei, capitisque tumore praeter solita relatae apoplexiae speciei phaenomena demonstrata. Mors in hujusmodi casibus serioribus incertisque diebus accidit, abscessus in cerebro ejusque membranis cadavere ostendente. 5. Sub hydrope cerebri acuto, a serosa inter hujus visceris cavitates vel intra membranas effusione producto.

Apoplexia denique nervosa aliarum, omnium frequentissima, a subitanea systematis nervosi paralysi exoritur, et tunc, omnibus systematis nervosi praecedentibus turbis, torpor insignis cum

subsequa morte inopinate succedit. Hujusmodi mors ab illa, quam virium debilitas parit non differt, nisi quia ista lentius fit, sicuti quoque sectio cadaverica nil observandum exhibet.

IN ALIOS MORBOS.

Causae quae mortem typhicis afferre valent, eaedem, saltem minori vi agentes, individuos extremo fato superstites in alios morbos vel sanabiles, vel insanabiles, vel etiam lethales aliquando inducunt. Hoc fit: 1. Per internas metastases, unde stases atque inflammationes variae in febrim hecticam depascentem terminantes: vertigo chronica, amaurosis, fatuitas, tussis continua, respirium difficile,in haemorrhagias atque hectysiam nisus, infarctus praecipue hepatis, et lienis unde subsequus hydrops, icterus, hypochondria, spasmi, chronicaeque tubi gastro-enterici affectiones; functionum denique sexualium perturbationes, et similia. 2. Per metastases externas, ex quibus tumores in glandulis, musculis, membranis varia ratione insurgunt, neque non cataracta, frequentiusque ottyrrhoea. 3. Per exitum suppurationis localium phlogosium etiam ante crisin. 4. Per localem gangraenam externam,ulceribus pertinacissimis subsequentibus. 5. Per continuam debilitatem, variis causis inductam, unde dyspepsia, somnus irrequietus, sudores no-

cturni, diarrhoeae, pollutiones involuntariae, tabes etc. rarissime vero febres intermittentes.

PROGNOSIS.

Prognosin rationalem constituit alterutrius morbi exitus praevia cognitio, quam ex sequentibus signis partim rationalibus, partim empiricis attingere possumus. Quae rationalia faustam morbi terminationem vel infaustam promittunt, sunt: individualis typhici constitutio, symptomatum qualitas et quantitas, morbi decursus, nec non omnia secundaria rerum adjuncta. Ad empirica, quae prosperam morbi resolutionem praenunciant, pertinent: vomitus praematurus vertiginem imminuens, qui mitem morbi decursum promittit: epistaxis moderata, quae quinta aut septima die cum encephali levamine adparens, mediocrem statum nervosum praedicit: mentis serenitas, et minor memoriae laesio horis matutinis. 4. Pneumonitis levis, et diarrhoea spontanea mitis primis morbi diebus: bariecoja, ambiguum tamen signum: *Hippocrates* ait: *Surditas alvum sistit;* sed et alvus sistens surditatem inducere potest, quod si stadio nervoso fit optimum est. Eodem morbi stadio sitis moderata, lingua humida, pulsus liber neque celer (levibus tamen nervosis symptomatibus) suasque exacerbationes, et remissiones ad crises necessarias no-

tans: status nervosus mitior, nobiliumque organorum illaesio, quae omnium optima sunt.

Infaustum morbi exitum empirice praenunciant: nullum ex primo vomitu, sive naturali, sive artificiali levamen, et primis jam diebus physiognomia valde alienata, sitis omnino deficiens, delirium vehemens atque continuum, nec non praematura petechiarum, et parotitidum adparitio: symptomata pectoris stadium nervosum concomitantia: in stadio nervoso amaurosis, epiphora, dysphagia, singultus gravior, linguae paralysis, continua subloquutio, corporis veluti plumbum decumbentis perfecta dejectio, peticulae diu perstantes, pulsus strane turbatus, et celerrimus, vesicae urinariae spasmi, vultus sese contorquens sub tactu abdominis, enteritis cum notabili meteorismo vehemens, manuum lusus, dentium prominentia, diarrhoea debilitans, dysenteria gravior, nullus denique vesicantium effectus symptoma omnium pessimum, oris aphthae verminationem, et singultus sub morbi fine continuus intestinorum gangraenam, vel saltem phlogosin saepius denotantia: complicationes gastricae, et syphiliticae, siculi organica hepatis vitia.

Prognosin praeterea aeque dirigunt sequentes regulae practicae: 1. Unum signum semper insufficiens: 2. Symptomata initio morbi mitiora, parem status nervosi gradum nunquam praenuntiant: 3. In individuis pusillanimibus, tri-

stibus, et deprimentibus animi pathematibus continue obnoxiis, neque non in militibus nostalgia laborantibus, prognosis semper cauta sit. 4. Foeminae facilius quam viri typhum superant; graviditas tamen et puerperium periculum gravant: 5. Nil certi ante crisin unquam vaticinari licet; typhus enim omnium morborum versatilissimus, dolosissimus. 6. Convalescentes auribus molestiis adhuc vexati, nunquam sani praedicentur: interdum enim illae metastasium prodroma sunt.

THERAPIA TYPHI SIMPLICIS ET REGULARIS.

Sicuti vera typhi natura, et perfecta theoria nos adhuc latent, et ideam hujus morbi hypotheticam tantum et empiricam habemus, ita quoque therapiam rationalem contra typhum instituere nunquam possumus, sed tantum indirectam. Brevitatis causa omnes illas medendi methodos, quas varii variarum aetatum medici suis hypothesibus semper respondentes proposuere, ommittam, et dicam solummodo rationalem empiriam nos docuisse: 1. Typhum, veluti multa alia exanthemata, naturae viribus saepius sanari, uti in pluribus simplicibus et regularibus casibus factum fuit, quod magis magisque quoque confirmant felices nonnulli typhi anomali, et gravissimi exitus, quos una natura benefice attulit,

quae tum et quando non solum morbo periculosissimo, verum etiam medici ignorantiae nocentiumque pharmacorum effectui mederi scivit: 2. Sanitatem certo solummodo tempore post insignes organismi perturbationes fieri, neque citius vel et quorumcumque pharmacorum auxilio.

Iis ergo cognitis, nil aliud medico superest, nisi uti medicatrices naturae operationes perquirat, imitetur, adjuvet, omnibusque impedimentis sedulus liberet, quae crises perturbare possent. Ita illa, quam supra diximus, indirecta typhi medicina conficitur. At cum in singulis typhi periodis unus semper prae caeteris morbosus character emineat, ita quoque therapia semper huic erit accomodanda, quam praeterea analogia ex propriis aliorumque pluribus observationibus deducta diriget.

THERAPIA IN STADIO INFECTIONIS ET PRODROMORUM.

Donec morbus a nonnullis vel objectivis vel subjectivis symptomatibus manifestetur, nullam in ipso instituere possumus therapiam. Hoc per illa, quae jam exposuimus in diagnosi in stadio infectionis typhi contingit, in quo tamen quantum prophylaxis interdum valeat, serius videbimus. Neque majorem medicinam facere possumus in prodromorum periodo, quae aut vix persentiuntur, aut a solitis febrium prodromis non differunt,

At hic quoque prophylaxis, imo certo cum effectu experientia teste, applicari potest.

IN STADIO INVASIONIS.

Incipiente horrore febrili, morbus typhosus incipit, et sicuti ex ipso nisi per crises tempore a natura statuto amplius jam egredi potest, nil igitur id temporis heroicae therapiae instituere convenit. Cavendum ergo a venae sectionibus, emeticis, vesicatoriis omnibusque aliis fortioribus, quae secus futurae febris vim vel nimis compescerent, vel nimis augerent. Sed potius tepidis leniterque diapnoicis Sambuci, Tiliae, Naphae et Chamomillae infusionibus, lectique tepore solvantur spasmi cutanei, et capillaria relaxentur vasa, ut sistema sanguiferum, et praecipue nervosum minus patiantur.

IN STADIO INFLAMMATORIO.

Ex opportuna hujus stadii therapia, status nervosi mediocritas et felix criseos, vel et anticriseos successus pendet; Ut igitur hoc fiat, vires vitales aeque dirigendae, symptomata periculosa compescenda vel penitus etiam sufferenda, character quoque morbosus nunc vigens debite moderandus, organismus denique ad beneficas crises disponendus est. Ad hocce therapia anti-

phlogistico-solvens blanda conducit. In hac tamen etiam emetica primas haud dubie tenent. Namque ob concussionem quam totum in organismum inducunt, vel ob solutionem spasmorum, vel ob sudoris, aliarumque secretionum, muci praecipue cutanei promotionem, vel ob consensualem in cerebrum actionem, vel denique ob plura ex iis, vel etiam ob alios adhuc ignotos effectus, maximam semper hac morbi periodo virtutem demonstrarunt. Subministratur igitur plena dosi Ipecacuanha, quae vomitum vehementiorem producit, praecipue si cum uno Tartari Emetici grano conjungatur. Emeticorum tamen usus summa semper prudentia variis rerum adjunctis accomodandus est, interdum enim illa etiam plane contraindicatur. At emeticum, prima, secunda, vel tertia morbi die (interdum etiam serius) post horrores febriles exhibitum, soporis, delirii, febris, sitis, et anxietatis imminutio, neque non aliqua mentis serenitas, transpiratio cutanea, somnus facilior, et physiognomia magis composita illico sequuntur. Quod si emeticorum usui clarissimorum virorum auctoritate satis confirmato, inflammatorium primi septenarii statum nonnulli objicerent, nos iis respondemus: Primis morbi diebus, quibus subministrantur emetica, statum phlogisticum semper esse mitissimum, et catarrhalem, cui emetica maxime convenire scimus, experientia teste. Si vero in anomalis casibus

character inflammatorius summus sit, vel cum phlogosi alicujus organi, pulmonum praecipue, conjunctus, tunc procul dubio venae sectiones emeticis anteferendae sunt.

Caeterum potus solventes, non solum sub emesi hausti nauseam et transpirationem cutaneam diutius sustinent, sed prius etiam exhibiti, laesis dermoidaei, mucosique sistematis functionibus summopere provident, exanthematis eruptionem leniter promovent, vires naturales dirigunt, et colatoria omnia aperta tenentes, ad beneficas crises mirum in modum ipsa disponunt. Pro variis vero rerum adjunctis expediunt potiones modo mere solventes antiphlogisticae, modo mucilaginosae, modo acidulae, nunc simplices, nunc etiam parva salium mediorum dosi adjuncta, et hic Gramen, Althaea, Hordeum, acidum tartricum, aceticum, citricum et similia praesto sunt.

Experientia medicos docuit, quoad venae sectiones, in regulari typhi decursu, in quo character inflammatorius semper est mitissimus, non solum illas inutiles esse, verum etiam summopere noxias, praecipue in individuis cachecticis, et debilibus. Nam si etiam mortem ipsam non afferant, crises certe perturbant et differunt, et convalescentiam molestiorem et lentiorem efficiunt.

In omnibus typhi stadiis, praecipue vero in inflammatorio, alvus modice fluens plurimum prodest. Attamen sicuti pro purgantibus nulla est

indicatio in casibus simplicibus et regularibus, ita si incaute administrentur transpirationem cutaneam valde imminuunt, et sub seriori morbi decursu diarrhoeas effraenes summe debilitantes et periculosas inducunt.

Quantum vero remedia tonica et stimulantia, hocce morbi stadio noxia esse debeant, ratio ipsa demonstrat. Vires vitales id temporis stimulorum exuberantia suppressae sunt: si igitur stimulorum actio adaugeatur, eo magis magisque supprimuntur, donec in astheniam indirectam, vel immo directam incidunt, lyses praeterea salutares impediunt, nam colatoria omnia cohibent, et claudunt. Quando vero in complicatis et anomalis typhi casibus phlebotomiae, purgantia, tonica denique et stimulantia necessaria sint, alibi exponemus.

IN STADIO NERVOSO.

Minantur vires vitales hac morbi periodo, ex debilitate indirecta in veram debilitatem transire. Indirecta igitur, qua utimur therapia, hasce vires vitales debite suffulcire debemus, easque ad proximas crises erigere, turbatam praecipue sistematis cutanei functionem respicientes, nunquam tamen inflammatorii praegressi stadii characteris immemores. Iis indicationibus optime respondent: I. Vesicantia, quae septima aut octa-

va díc applicita antagonistice sensorium sublevant, stranam nervis afferunt impressionem, aridae cuti transpirationem redonant, alvumque immodicam cohibent. Rubefacientia in typho non putrido nunquam anteferenda sunt vesicatoriis, quorum benefica virtus solummodo a vulnere leniter suppuranti pendet. Talis enim suppuratio cum cantharidum effectu conjuncta, tantam exerit in reliquum universum sistema cutaneum actionem, ut non solum ipsius functio ad normalem sub typho redigat, verum etiam sub sanitate ita disponat, ut contagio typhico immune esse possit. Ut vero modica ista suppuratio sustineatur, cui tantum organi cutanei ariditas obstat, oportet, ut, vesicula exorta, epidermis per nycthemerum servetur, primisque suppurationis diebus unguentum digestivum cum sapone nigro pro vulnerum medicatione misceatur, serius emplastro gummi-resinoso illis substinendo. Regiones quae vesicatoriorum adplicationi magis conveniunt sunt surae, et nucha. In coxis nimium doloris, nec non vulnera sanatu difficillima producunt, sicut in capite, abrasis capillis, vel sunt inutilia, vel dolentissima, vel etiam nocentia.

II. Camphora: Quae cum vesicatoriis vel paulo post adhibita statutis indicationibus praecipue quod cerebrum et cutem optime satisfacit, quin imo perniciosos in organa uropojetica cantharidum effectus tollit, statum inflammatorium diffi-

cilius revocat, atque electrico similis celerrime per totum organismum virtutem suam stimulantem diffundit. At moderata sit hujus remedii dosis, ne faucium siccitas, tubique gastro-enterici irritatio magis exasperentur, imo plurimum proderit, si cum mucilagine exhibeatur. Communiter ad decem, vel duodecim grana de die, sed si torpor adest, majori quoque dosi praescribitur, quo in casu consuetis atriis obstantibus per clysmata et fricationes in cute factas adplicari pro parte poterit.

III. Arnica: cujus flores a drachmis duabus ad quatuor in infuso praescripti concutienti, alteranti et, majori dosi, emetica quoque virtute pollentes non solum minimas cerebri fibras excitant, verum etiam ipsius stases resolvunt, nec non vertiginem, stuporem, delirium, aliaque cephalica phaenomena, charactere inflammatorio jam fracto, sicuti diarrhoeas compescunt.

IV. Stimulantia volatilia: quae simul cum prioribus pharmacis administrata, eorum effectus in cutem, alvum, nervosque secundant. Inter haec Imperatoria, Angelica, Valeriana, Levisticum, Calamus Aromaticus, Chamomilla, Contrajerva, et Serpentaria in primis occurrunt.

Felicissimos ex sequenti simplicissima methodo effectus obtinuit celeberrimus auctor *Hildebrand*; Emetico primis morbi diebus exhibito, substituebantur in posterum decocta Graminis

cum Arcano duplicato, et Roob Sambuci. Circa diem septimam vesicatoriis applicitis, pulveres Camphorae et infusum Arnicae, et Angelicae cum Liquore Anodyno porrigebantur.

V. Vinum: de quo serius dicemus, nec non illa quae ex vino componuntur, inter quae Naphtae praecipue.

At inutilia, vel etiam plane nocentia sunt sub stadio typhi nervoso:

I. Tonica, propterea quod in eodem stadio nec humorum resolutio, nec partium solidarum laxitas illorum usum requirunt, quin imo praecipue, si stiptica sint, colatoria omnia in crisium damnum occludunt.

II. Opium, quod Angli praecipue *Sydenhamii* auctoritati innixi, *Cullen*, *Brown*, *Campbell* sine ulla utilitate semper adhibuerunt, et quamvis plurimis Alemannis medicis, qui majori prudentia ducti, opium a Clarissimi *Sydenhamii* monitis nunquam abhorrentes, duodecima tantum morbi die praescribere incipiebant, postquam tamen mitioribus narcoticis, syrupo idest Diacodii vel Florum Rhaeados etc. ipsi straverant viam, respondere videretur, serior tamen perillustrium medicorum observatio semper ipsum perniciosum detexit, quamvis fortasse primo intuitu utillimum esse videretur. Utrum vero juvet in aliquo typho anomalo, an potius necessarium sit, alibi videbimus.

III. Calomel, quod hepatis affectio forsan sibi expostularet, ita ut Angli in febri quoque americana adhibuerint, tamen ob effraenes diarrhoeas, humorumque resolutiones, quas ipsum inducit, semper clarissimus *Hildebrand*, quidquid contra *Lohnes* dicat, plurima damna produxisse testatur.

IV. Purgantia, quae ob immodicos alvi fluxus, nimiamque virium jamjam deficientium debilitatem, quam inducere possunt, contraindicantur quamvis a *Stoll*, *Thom*, *Ritze*, maxime commendentur.

IN STADIO CRITICO.

Crisis decisiva brevissimo naturae actu conficitur, cui plurimum nocere, parum juvare potest medicus. Ut tamen hic ipsius naturae conatibus obsecundet, vires vitales convenienter excitare et colatoria omnia aperta tenere debet, quod potibus tepidulis, leniterque stimulantibus, et cauto diaetae regimine facile consequi poterit.

IN STADIO DECREMENTI.

Prouti morbus decrescit, therapia quoque decrescere debet; neque illico post crises pharmaca omnia seponenda sunt, diaetaque lauta concedenda, sicuti mox post illas plena salus non redit. Convalescentia epicrisibus tantum succedit,

quibus sensim sensimque morbus penitus profligatur: ita etiam therapia paullatim est restringenda. Minuantur stimulantia et nauseantia; camphora igitur et arnica sepositis praebeatur solum Angelicae infusum cum liquore anodyno. Caput tamen adhuc infirmum, transpiratio cutanea, nec non aliae quae interdum insurgunt indicationes symptomaticae, attentionem medici ante alia merentur. Interdum pertinax in omnia pharmaca aegrorum nausea therapiae finem imponit.

IN STADIO CONVALESCENTIAE.

Id temporis therapeutica diaeteticae omnino locum cedit, de qua tamen alibi sermonem habebimus.

THERAPIA TYPHI COMPLICATI ET IRREGULARIS.

Unicuique jam patet generales therapeuticas leges in morbis illis, qui et decursu et symptomatibus a recto tramite varium in modum abhorrent, nunquam posse determinari, sed pleramque potius therapiam practicae medentis prudentiae committendam esse. Quae tamen similibus in casibus haberi possunt indicationes, a praedominanti morbi charactere, ab universali affectione, et a symptomatibus eminentioribus desumendae sunt. Hoc quidem in typho anomalo accidit, in

quo siculi singula stadia cum caeteris omnibus invertuntur, ita ne illa quidem sequemur, sed tantum anomalos characteres morbosos, et praecipua symptomata insolita sub oculis ponemus.

In primo septenario cyclo, vel etiam serius character inflammatorius interdum adeo intenditur, ut synochae proxime accedat, interdum soli, interdum cum locali quoque phlogosi junctae. Hoc in casu therapia stricte antiphlogistica et diutius protracta, semper tamen futurum statum nervosum respiciens, praecipue ubi nulla inflammatio localis adsit. De more una vel duae venae sectiones simul cum aliis antiphlogisticis sufficiunt, sed plures etiam instituendae sunt sub phlogosibus topicis praecipue cerebri, cum mania furiosa aut sopore apopletico. Praecavetur tamen omni studio debilitas vera, quae hirudinibus, et epithematibus frigidis, phlebotomiis saepius substitutis rarius succedet. At in therapia antiphlogistica insistere noli, donec omnia symptomata cephalica ad typhum necessarie pertinentia penitus dissipata sint; sed potius eo usque ne sub stadio nervoso vel critico aegri vitam minentur, et postea secure ad Camphoram, ad Arnicam, ad vesicatoria medicus confugere poterit. Sed et in angina, nec non pneumonia, quarum prior encephalitide rarior, altera frequentior occurrit, venae sectiones primas tenent, quarum omissio vel mortem suffocativam,

vel suppurationem, vel lethalem in stadio nervoso complicationem producit. Quod si angina et praecipue pneumonia in secundo morbi septenario adhuc vigeant, vesicantia pectori admoveantur, interneque Antimonialia, Alcali volatile, Anisum, Camphora prudenti manu exhibeantur, Senegaeque vel inutili, vel diarrhoeam promoventi Squilla potius et Colchicum substituantur.

Phlebotomias, et caetera antiphlogistica sibi quoque enteritis, peritonitis, et rheumatismus expostulant, quamvis rarissime adsint, et cum prudentia vires non ulterius infringere docet, camphora et vesicantia etiam in hisce casibus adhibeantur. Eadem de hepatitide valent.

Si character gastricus, quod saepius in typho fit, eminentior sit, protinus evacuandae sunt saburrae, quod in stadio inflammatorio tutius fit, et neglectum statum nervosum perniciosiorem, vel etiam diarrhoeas immodicas sive enteritides quoque inducit. Cautius vero in stadio nervoso, et enematibus potius, et tinctura Rhei vinosa alvus evacuetur.

Anticipante charactere nervoso, therapia quoque huic conveniens citius subveniat, et si ille intensior aut malignior sit, fortiora, et maxime stimulantia, volatilia brevibus intervallis exhibeantur, vesicatoriis simul adplicitis. In genere stimulantium dosis ob insignem nervorum stuporem est valde augenda, iisque jam alibi enumeratis,

olea empyreumatica, et assa foetida tunc moscho efficacior, si spasmi vel convulsiones adsint, adsocientur. Contra periodicas exacerbationes china in usum vocetur, neque unquam Phosphorum, aut acidum Muriaticum exhibe, si gangraenam ventriculi vitare cupis.

Sub stadio nervoso quaedam passivae phlogoses interdum insurgunt, quae nervosae sive asthenicae a neoctericis dictae a putridis summopere differunt, quae nisi adventante septico charactere evolvuntur. His praecipue encephalum, pulmones, intestina; atque etiam hepar subjiciuntur. In encephalitide nervosa ab alto sopore maximaque typhomania demonstrata, vesicans ad caput, camphora atque arnica prae aliis adhiberi merentur. Venae sectiones unciarum quatuor vel sex in pneumoniis nervosis stimulantia praecedant, ut vasorum turgore imminuto, circulatio aequabilior reddatur. Deinde illico vesicantia ad pectus, antimonialia caute administrata, Alcalia volatilia, camphora, Anisum etc., praesto sint. Enteritis nervosa, quam dolor sub tactu mediocri, pulsus parvus debilis, inaequalis, dysenteria, tenesmus satis demonstrant, nunquam venae sectiones, sed potius vesicantia abdomini applicita, Chamomillam, Camphoram cum multa mucilagine exhibitam, clysteres mucilaginosos sibi expostulat. Hepatitis nervosa, quam saepe icterus typhicus comitatur, rarius sanitatem admittit.

Calomel diarrhoeam auget, humorum conditionem magis inquinat: stimulantibus potius, et volatilibus frictionibus ad hypochondrium dextrum fidendum esse opinor.

In characterem septicum, qui a dispositione individuali, et magis a pravo aëris regimine pendens tum et quando typhum pessime complicat, majores camphorae doses, china, acida mineralia, rubefacientia, Cochleariae Armoraciae rasuris constituta, quae vesicatoriis, hoc in casu anteponenda sunt, Alcohol haemorrhagias tutissime fraenans optimo cum effectu in usum trahuntur.

Curantur parotitides primae earum intumescentiae aquam frigidam iterum iterumque imponendo, et alvum blande ducendo: at ubi suppuratio praecaveri non potest, cataplasmata stimulantia, e matura abscessus apertura ante omnia conveniunt. Cum opiatis larga manu semel exhibitis, nec dosi refracta saepius repetitis, cum mucilaginosis praecipue ex Lichene Islandico, et cum vino, omnium remediorum optimo contra diarrhoeas et dysenterias, in stadio typhi nervoso movemus.

Singultus, et meteorismus, eandem quam enteritis requirunt antiphlogisticam therapiam: saltem in metorismo alcalia volatilia praeterea juvant, imo etiam fixa, si ille convalescentiam molestet.

Non decet sub stadio typhi nervoso alvum ducere ut vermes pessima complicatio evacuentur, et si quid contra ipsos Camphora et Valeriana pollent, iis tantum fidendum est.

Camphora interne, et externe, balnea tepidula adhibeantur contra retentionem urinae modo a cantharibus, modo a spasmo inductam.

Decubitus qui ex pressione, immunditie, atque humiditate exoritur, chirurgi auxilio indiget, saepissime inutili ob lethalem, quae ex pessima suppuratione deinde procedit, febrim.

DIÆTETICA.

Diaeteticae leges, sicuti in omnibus morbis ita etiam in typho plus quam omnia pharmaca interdum valent, aut saltem eorum activitatem valde secundant. Ad hoc vero opus est, ut cum ipsis pharmacis plane illae concordent, et cum morbosus typhi character summopere sit versatilis, ita huic semper respondeant.

Quantum emolumenti in prodromorum periodo diaeta conveniens afferre possit, omnes jam vident. Sub invasione juvant: tepor lecti, potus acidulus et leniter diapnoicus. In stadio inflammatorio aër sit purus oportet, quod obtinetur aegrum super lectum in cubili spatioso collocando, quod humanarum animalium, et vegetabilium exalationum omnino careat. Ut aër ipsius aegri

exhalationibus vitiatus renovetur, fenestra tantum aliquandiu aperiatur, neque unquam aëri currenti aeger exponatur. Aër siccus anteferatur humido, qui cutis functiones turbat, diarrhoeas promovet, et contagium facilius propagat, et praeterea frigidiusculus sit, scilicet ad (10° R.), veluti qui cutem melius ad transpirationem disponit. Quas alii collaudant lotiones frigidas, felicioribus successibus confirmatas velimus. Aestivo tempore leviter tegatur aeger, et cibus non sit parcus adeo, uti in morbo mere inflammatorio, sicuti siccus et durus plane nocet. Optimum praebent potum limonaea, vinum acidulum cum aqua commixtum, et si pectus magis laboret mucilagines, nec non lenia diapnoica, omnia tepidula absumpta. Motus activus etsi levissimus valde prodest; utilior est aegrorum debite suffultorum deambulatio, et si frequens in deliquia proclivitas adsit, repetita in lecto erecto corpore sessio. Tali ratione caput serenius fit, somnus reficiens, cutis transpirans, optima in nervos musculorum actio. Inertiam quoque vincere, quamvis serius, plurimum juvat; sensus aegrorum ad attentionem disponendi sunt; cubile sit lucidum, nec omni strepitu vacuum, aeger ipse excitetur, debite admoneatur et suavibus quoque verbis consoletur. In stadio nervoso aër magis purus, et siccus esse debet, et minus frigidus (scilicet ad 13°, 14° R.): stragula quoque adaugeantur, et maxima sit munditiei

cura: victus magis nutriens sed digestu facilis, potus mucilaginosus, nec non vinum vetustum crematum cochleatim aegris exhibeatur. Pro motu nisus sese movendi sufficiet, et sensuum externorum excitatio magis, quam physica cura id temporis proderit. Sub crisi regimen diaeteticum transpirationi cutaneae praecipue faveat, caeterum naturae conatibus; item in morbi decremento, nec non in convalescentia, in qua tamen vires magis magisque reficiendae, novis adpetitibus moderate satisfaciendum, cubile mutandum, facultates mentales modice exercendae. Hasce Diaeteticae leges in casibus anomalis prudentia medici modificabit.

PROPHYLAXIS.

Ecquis maxima morborum contagiosorum prophylaxeos emolumenta inficiabitur, quae convenienter adplicita non unum tantum hominem, sed populos etiam integros a morbis ipsis, vel etiam ab ipsa morte praeservat? Ut igitur eadem prophylaxis, etiam in typho pretiosum hunc finem consequatur debent: 1. Singuli individui omnia illa loca diligenter effugere, in quibus vel typho laborantes, vel convalescentes decumbunt, vel miasma typhosum diffusum esse suspicitur. Quod si quis necessitate coactus in hisce locis morari debeat, ne diu ibidem, et multo minus in ty-

phici athmosphaera commoretur oportet, ipsiusque contactum omni sollicitudine evitet. Nemo ad aegrorum lectum accedat, ni prius satis dormiverit, et generosum cibum vel potum spirituosum sumpserit, corpusve alia ratione praecipue motu calefecerit. Plurimum et Nicotianam antea fumasse juvabit, sicut vestem lineam potius quam laneam ferre. Ad lectum aegroti naribus muco expulitis fragrantia saepius admoveantur: sit frequens exspuitio, et frequentior ad os aceti adplicatio. Mox post decessum a typhicorum cubili eadem nares et os, manus, et vultus aqua frigida diligentissime abluantur, et vestes protinus exutae aqua laventur item frigida, et dein fumigentur. Sub infectionis vel prodromorum suspicione balnea, lotionesque frigida fere specifica sunt, neque vomitorium et fonticuli omni virtute carent.
2. Ne vero miasma typhosum ipsa peste lethalius populos integros inficere possit, oportet, uti primum ipsius generatio, sicuti et diffusio, omni sedulitate impediantur, vel contagium jam diffusum penitus destruatur. De praecavenda prima typhi generatione paulo post dicemus. Nunc ne contagium per populos diffundatur docemus, ut certae domus, vel certa ordinarii nosocomii cubilia ad typhicos excipiendos eligantur: ut aegri medicorum cura protinus a sanis separentur: ut in carceribus et ergastulis propria sint pro typhosis loca, sicuti propria ad aegros deportandos sella.

Ut vero contagium ipsum in locis infectis destruatur, flamma ignea per eadem loca saepius circumallata omnium efficacissimum remedium est, sicuti quoque valent mineralium acidorum suffumigia, caeteris omnibus inutilibus. Extinguitur vero contagium in corporibus infectione suspectis, partim repetitis lotionibus, partim fumigationibus, et vehementi frigoris vel caloris actioni illa exponendo, partim denique perfecte comburendo.

DE TYPHO ORIGINARIO.

Certum jam est in climate nostro, determinatis sub conditionibus, contagium typhosum, sicuti alia contagia, aliquando evolvi posse. At contagium istud nunquam oritur, ut alii putant, ex causis illis, quae immediate per organa digerentia in organismum agunt, aut quae tantum veram debilitatem producunt. Primus typhosi miasmatis fons in aëris athmosphaerici vitiis quaerendus est, quae vitia causae sequentes inducunt: mephitica paludum atque stagnorum effluvia; putridi sive animales, sive vegetabiles vapores; vitiatae plurimorum hominum vel animalium, praecipue febri laborantium, qui in loca parva diutius commorentur, exhalationes. In carceribus, nosocomiis, navibus, castris, post bella tum, quum ex causis relatis aër inquinatur, sem-

per typhum originarie evolvi videmus. At contagium typhosum tali ratione generatum, non solum per aëra praecipue aegros circumambientem diffunditur, sed etiam per corpora illud conducentia. Inficiuntur vero praecipue febricitantes, in quibus typhus, cum febri jam praeexistenti associatur, complicationem constituit, et semper anomale decurrit, charactere nervoso plerumque mox ingruente. Quando vero, qui febri laborant, typho praeterea corripiuntur, febris, quae vel est, vel fit continua praedominantem suum characterem modo plus modo minus exuit, et nova quae insurgunt, vertigo, obesitas, stupor typhomania, oculorum rubor, narium, et pectoris catarrhus, linguae et cutis ariditas, bariecoja, meteorismus, urinae clarae, exanthema denique specificum typhosam complicationem satis demonstrant. Pessimum erit, si typhus iste febribus exanthematicis, aut putridis associetur. At ubi medicus praecipue, qui maxime semper invigilare debet, sub causis, quas paulo ante exposuimus typhum originarium evolvi videat, omni mentis et corporis vi instare debet, ne contagium ulterius diffundatur, imo vero ut penitus destruatur. Quod conscientia suum tam sacrum officium adimplevisse, integrasque nationes extremo fato eripuisse, satis amplam suorum laborum ei mercedempraebebit.

THESES DEFENDENDAE

I.

Dominanti quodam morbo epidemico, plerique morbi sporadici illius hypotyposi plus minusve participant. Caveas igitur, ne praematuram diagnosin pronuncies.

II.

Febrim apoplexiae subsequam semper boni ominis esse, falsum est.

III.

Morbi iidem in diversis individuis iidem non sunt; sed in omni morbo aliquid novi semper studendum, observandum, curandum.

IV.

Remedia stimulantia quandoque antiphlogistica.

V.

In pneumoniis ad exitum hepatisationis transactis Tartarus Emeticus omnibus aliis pharmacis anteferendus.

VI.

Ad morbos optime curandos plus naturae quam pharmacorum vires cognoscere juvat.

VII.

Rheumatismus articularis ab arthritide morbus omnino dissimilis.

VIII.

Tuberculorum genesis semper abscura manebit.

IX.

Rubor uniformis tunicae internae arteriarum, potius quam conditionem phlogisticam interdum contrariam demonstrat.

X.

Uterus morborum mulierum praecipuus fons.

XI.

Ferrum, quod chlorosin sanat semper incruentum.

XII.

Tumorum chronicorum diagnosis valde difficilis.

